

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 70

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jhesu Christi Otto divina ordinante providentia rex. Imperialem celsitudinem decet predecessorum suorum pie facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censure sue alacriter auctoritate confirmare. Idcirco notum sit omnium fidelium nostrorum industrie, quia Odilio abba ex monasterio Stabulaus et Malmundario necnon et monachi in eisdem cenobiis consistentes detulerunt nobis preceptum Lodouici imperatoris et Hilderici regis in quo continebatur qualiter vir sanctus Remaclus scilicet nomine qui nunc in eodem monasterio requiescit detulisset prefato Childerico regi preceptiones Sigiberti regis in quibus erat insertum qualiter easdem cellulas novo opere construxisset et de sua foreste duodecim leugas undique mensuratas sive que infra erant pro divino amore concessisset. Et predictus pater magis diligens quiete Domino servire quam tumultuosa securi fluctuatione perpeti, deprecatus est eundem Childericum regem ut VI leugas eis subtraheret propter quietudinem monachorum ibidem consistentium et VI eis per preceptum suum confirmaret atque undique designari juberet, sicut et idem rex libenter facere procuravit. Id est : de monasterio Malmundario usque Siccum Campum ; de Sicco Campo per viam Mansuariscam usque ubi Warchina currit; et de ipsa Warchina usque ubi Stembach consurgit; et de Stembach usque ad Amblauiam; deinde sursum per Amblauiam per illam forestem de Wlfberg ubi Sauerbach surgit; deinde ubi Didolones rivulus consurgit; inde per ipsum rivulum usque in Retham; et de Retha per illam forestem que separat Chelmino Roborito et Audast villare; per ipsam medium forestam usque locum qui dicitur Iocunda Fania; et deinde per Alsenam que propinqua est eidem monasterio; et inde per ipsam Alsenam usque ubi in Glanum rivulum ingreditur; et deinde ultra Glanum usque ad Albam fontem; et de Alba fonte usque ad Amblauiam juxta locum Sicgino Auiao ubi Gerelaicus vennam habuit; et inde per ipsam Amblauiam ubi Dulnosus in ipsa ingreditur; inde per Dulnosum usque in Fanias; et inde per medium forestem de ipsis Faniis usque viam que dicitur Mansuariscam; inde per ipsam viam usque ad eundem Siccum Campum. Hec omnia per loca denominata atque determinata a predicto rege necnon et a successoribus ejus ad predictas cellulas eorum relegendo preceptiones concessum atque confirmatum invenimus; sed pro firmitatis studio petiti predictus abba et ejus congregatio, ut nos denuo per nostrum preceptum forestem predictam per loca superius denominata atque descripta eisdem nostra auctoritate concederemus atque confirmaremus monasteriis. Quorum petitionibus libenter annuimus et, ut deprecati sunt, per hoc nostrum preceptum confirmavimus. Precipientes ergo jubemus, ut nullus fidelium nostrorum de predicta foreste, sicut superius descriptum dinoscitur, nullam inquietudinem aut infestationem aut contrarietatem partibus predictis monasteriis suisque rectoribus facere ullo umquam tempore presumat, sed liceat monachis in eisdem cellulis Deo famulantibus ad proprias supplendas necessitates ipsam cum omni integritate perpetuis temporibus habere absque alicujus infestatione aut resultatione aut diminoratione. Deprecati sunt etiam nos de decimis et capellis ab antecessoribus nostris sibi concessis ex quibusdam fiscis nostris, id est : de Duira, Clodonna, Barma, Sinciaco, Andernaico, Bodobrio, Vuasitico et Auinianno, Astaino; de Tumbias vero Glaniaco, Carango, Tectis ut Vuiria capellis simul cum decimis, ut pro firmitatis studio et anime nostre emolumento donum predecessorum nostrorum nostra confirmaremus auctoritate. Quapropter sicut petierunt concessimus; et decernimus ac jubemus, ut nemo fidelium nostrorum de decimis et capellis memorate congregationi aliquid contendere aut abstrahere vel minuere presumat, nec ullam contrarietatem aut

intentionem eis inferre temptet, sed sicut ab antecessoribus et a nobis de memorata foreste et de jam dictis decimis vel capellis constat confirmatum, ita, Domino protegente, per hanc nostram auctoritatem nostris et futuris temporibus maneat inconvulsum. Et ut hec vero auctoritas preceptionis nostre per diurna tempora valeat inconvulsa manere, manu propria subscriptimus et anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Sigum domni (L. M.) Ottonis invictissimi regis.

Data kal. febr. anno Domini DCCCCL, indictione VII, regnante pio rege Ottone. Actum Basen villare, in Domino feliciter. Amen.